

Gloriosissima Deipara exaltatio in Benedictino Ordine.

1702 **R**ursus notissima est, decantatissima que Deiparæ Virginis gloriosissima exaltatio in Benedictina Familia; semper enim Mariæ studiosissimus fuit hic religiosissimus Ordo; necnon & reliquæ Familiæ supra numeratæ, quæ Benedictum Parentem agnoscunt, tantoque gloriantur Patriarcha. Barnabas Montalvus Parte 1. Chronici Ordinis Cisterciensis libro 1. capite 39. scribit omnibus Benedictinis morem fuisse, ut canonicis Horis officium B. Virginis parvum intermisceretur. Itaque S. Robertum Cisterciensis instituti Auctorem id egisse tradit, ut antiquum morem non intineret, sed revocaret. Suffragatur Castagnius in Epitome S. Benedicti pagina 52. eandem asserens antiquam Benedictinorum consuetudinem. Adde, id etiam Officium studio ac diligentia S. Petri Damiani, qui Monachus S. Benedicti fuit, mirifice amplificatum, ut scribit ejus Discipulus Joannes Monachus in ejusdem vita. Sed & Cardinalis Baronius ad Ann. Christi 1056. scribit ex ipso Petro Damiano in Epistola ad Fratres eremi, Gamungenses Benedictinos laudabili instituto solitos fuisse, Deiparæ Officium Horis Canonicis adjunxisse. Ex hoc forte manasse cognoscitur, ut toto Christiano Orbe Occidentalis Ecclesiæ, non à Monachis tantum & Clericis, sed etiam à laicis, viris, atque mulieribus Officium Dei Genitricis quotidianis pensis persolvatur; monente id & approbante Urbano 11. Anno Christi 1095. ut ibi Baronius testatur. Lege nostros Canisium libro 5. de Deipara capite 29. & Spinellum libro de laud. B. Virginis capite 29. & capite 39. Item Antonium Caracciolum in synopsi veterum Religiosorum rituum, atque legum 1. parte, capite 1.

Officium B. Virginis parvum.

S. Petrus Damianus ex Benedictina Religione.

Antiquissima Marianæ immunitatis propugnatrix Benedictina familia.

S. Anselmus Benedictinus.

De ejus Epistola immunitatis.

1703 Aliter gloriosissime exaltata est Deipara Virgo in universa Benedictinorum Familia numerosa adeo, ac multiplici: voluit enim ipsa suæ justitiæ Originalis, suæ purissimæ Conceptionis propugnatorem, ac vindicem Benedictinum Ordinem sanctitate, & doctrinâ prælustrem eligere & habere. Esto Marianæ Conceptionis celebrandæ auctores reliquis Christianis primi, ipsimet Apostoli fuerint; ut efficere contendit noster Petrus Ogeda in libello, quem Hispanum edidit, de antiqua illius mysterii traditione: certè ille Virgineæ immunitatis celebrandæ mos, decursu temporû à suo vigore excidisse videtur; quem instaurandum, propugnandum, & spatiandum suscepit Benedictina Religio pro sua in Deiparam pietate, & studio. Quod si Salazario nostro applaudimus statuenti in sua Marianæ Concept. defensione c. 35. §. 5. non antea in Latina Ecclesia Conceptionis festum audiri coeptum, quam temporibus S. Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi, Monachi Benedictini, erat planè facer S. Benedicti Ordo, qui primus concelebrandam instituit Marianam Conceptionem.

1704 Hæc ut consent, præmittimus, Epistolam illam ad Episcopos Angliæ, & omnes Orthodoxos, legitimum opus esse S.

Anselmi Cantuariensis, & Benedictini Monachi. Quod eruditè probant validissimis auctoritatibus, & rationis monumentis nostri Ogeda, & Salazarius proximè relati. Etenim in ea Epistola meminit Anselmus cujusdam miraculi, & visionis exhibitæ Helmino Abbati Benedictino Remensiensis Cœnobii in Angliâ; qui cum vehementi in mari tempestate jactaretur, & penè jam absorberetur à fluctibus, sollicitus ac suppliciter Deiparæ Virginis patrocinium implorat. Præstò illa adfuit suo auxilio: ab ea enim missus vir quidam Pontificis condecoratus ornamentis; quem S. Nicolaum Myrensem Episcopum, Mariæ, dum viveret, addictissimum, imò Marianæ Conceptionis quondam Myræ cultorem, putant Petrus Episcopus Equilinus libro 1. Catalogi capite 42. Arnoldus Wyon lib. 5. ligni vitæ cap. 103. & Petrus Spinellus noster lib. de laud. B. Virginis cap. 35. n. 3. Monet Helmum Nicolaus, ut si in portum emergere cuperet incolumis, votum nuncuparet celebrandi quotannis Marianæ Conceptionis festum sexto idus Decembris. Votum Helminus nuncupat, & confestum ab eo æstu, quo immoderatè fervebat mare, sedatum est: atque incolumis Abbas concito statu, appropinquat litoribus maris Anglicani. Statuit autem idem festum (subtextit Anselmus) in Remensensi Cœnobio celebrari, & ipse quandiu vixit devotis obsequiis celebravit. Anselmus verò de tota hac re edoctus, ut erat Ecclesiæ Anglicanæ Primas & supremus in rebus sacris arbiter; eas litteras ad omnes sibi subjectos Episcopos dedit, non suadens modò, sed (ut nonnulli existimant) etiam præcipiens, ut festum Conceptionis in suis omnes Ecclesiis solemniter agerent. Et nos igitur fratres (concludit Anselmus) si portum salutis volumus apprehendere, Dei genitricis Conceptionem dignis obsequiis, & officiis celebremus, ut ab ejus filio digna mercede remuneremur.

Maria propugnatrix.

S. Ansel.

S. Ansel.

Wyon.

S. Ansel.

1705 Petrus Episcopus Equilinus proximè relatus, cui subscribit Arnoldus Wyon loco memorato, rem gestam referunt, ac tribuunt S. Anselmo Cantuariensi, & Monacho tunc Benedictino. Dionysius Carthusianus in Serm. de Conceptione B. Mariæ, & F. Franciscus Ibanez in Compendio virorum illustrium Ordinis S. Benedicti, alii cuidam Benedictino Monacho attribuunt. Sed quid novor? (ait Wyon) ab Anselmo, aut ab Helmino Abbate, vel Frederico Patriarcha instituta fuerit hæc solemnitas, quid refert, cum hæc laus debeatur Benedictinis? Constat enim & Helmum Abbatem Remensem, Fredericum Fuldensem Monachum, & Anselmum Beccensem Priorem, omnes Benedictinos fuisse. Opportunè satis ad rem nostram.

1706 Subinfert Anselmus, in Epistola ad Coepiscopos Angliæ, miraculum aliud, & visionem divinitus exhibitam Clerico cuidam Hungariæ Regis germano fratri, cui Horas Marianas recitanti Virgo Mater apparuit Angelis comitata, dixitque: Si Conceptionis meæ festum annuatim sexto idus Decembris solemniter celebraveris, & celebrandum prædicaveris, mecum in regno filii mei laureatus eris. Visio disparuit: & ipse ex Hungaria fugit ad Abbatiam extra patriam, ubi Monachus factus; Et post tempus exiguum, meritis Beatae Mariæ Virginis, Aquileiæ Episcopus Patriarcha factus, festum Conceptionis B. Virginis,

ginis, die præfata, quandiu vixit, annuatim cum propriis octavis diligenter celebravit, & ubique celebrandum prædicavit. Arnoldus Wyonius, & Franciscus Ibanez supra relati, cum Benedictina explorassent tabularia, arbitrantur, hunc Clericum Fuldæ in Germania Monachum, ejusdemque Fuldenis cœnobii Abbatem extitisse, compellatumque Fridericum, seu Fortunatum, & ex Abbate Patriarcham Aquileiensem anno D. 884. evasisse, Marianæ Conceptionis studiosissimum: ex verbis enim Anselmi proximè datis claret, hunc venerabilem virum, Conceptionis festum non solum in sua Diocesi solemniter celebrasse, sed ubique celebrandum curasse, etiam per distita latè regna; ut ostendit noster Salazarius lib. de Concept. capite 35. §. 5. & 6.

1707 Ex his liquet, quo jure à Benedictina Familia Marianæ Conceptionis festum solemniter institutum sit, vel saltem redintegratum, stabilitum, & cum octavis agitari coeptum per varias mundi nationes. Claret necnon, qualis quanta fuerit Benedicti Ordinis in Deiparam, in ejus præsertim purissimam Conceptionem studiosa devotio, quamque gloriosissime Virgo Mater in hac vetustissima Religione fuerit exaltata: sicut Cedrus in monte Amanæ. His accedunt penè innumeri scriptores Benedictini, Mariæ cultores nobilissimi, & Virgineæ Conceptionis studiosissimi, qui non solum voce, sed scripto etiam strenuam operam navarunt pro eximia Deiparæ gloria ubique stabilenda, & promovenda. Nonnullos ex multis assignabo, qui mundissimam Mariæ Conceptionem, quæ præcipua Virgineæ gloriæ causa est, propugnant, & commendant.

Nonnulli commendantur ex Benedictina familia egregii Marianæ immunitatis propugnatores.

1708 In primis S. Maximus Cæsaraugustanus Archiepiscopus ex Ordine fuit S. Benedicti, cœvus Isidoro eum commendanti lib. de viris illustribus cap. 46. Floruit ad ann. Domini 600. & S. Benedictum Magistrum habuit adhuc superstitem. Vita sanctissime functum egregio commendavit Epitaphio S. Braulio Cæsaraugustæ item Archiepiscopus. De illo multa Tribemius Abbas lib. de scriptoribus Ecclesiasticis, Anton. Yeper in Chronico S. Benedicti Tom. 1. Centuria 2. An. D. 599. cap. 2. & Jacobus Murællus Tractatu 1. de Cæsaraugustano B. Virginis Templo cap. 27. Præter alia multa, quæ Maximus non modò ingenii ad pœsim exculsi, sed religionis, atque eximie erga B. Virginem pietatis reliquit monumenta; haud extremo loco habendus Jambicus ille Hymnus, quem in hunc modum inscriptum Bibliotheca Fuldenis Benedictina opportunè suggestit: *Marci Maximini Hymnus ad sacrum Templum Cæsaraugustanum Columnæ.* Porrò totius Hymni argumentum nullum aliud est quam immaculata Virginis Conceptio, cui augustum illud Templum Jacobus Apostolus nuncupavit, quamque Iberiam totam edocuit; cujus etiam diem festum jam inde Hispania celebri religione venerata est, ut nonnulli autumant, neque immeritò.

1709 S. Ildephonsus sanctitate insignis, & S. Ildeph. doctrina clarus, Hispaniæ nostræ exitium decus, Monachus fuit Benedictinus, & Agaliensis Cœnobii in planitie suburbii Toletani, & postea Archiepiscopus Toletanus ad Ann. Dom. 658. Tanto arsit in Deiparam Virginem amore, tantopere ejus laudes & cultum in suis opusculis profecutus est, ut dignum illum eadem censuerit, quem præsentia corporali visitaret, vestem candidissimam daret, & dona spiritualia impertiret, ac vitam æternam promitteret. Eximius extitit Marianæ Virginitatis, imò originariæ innocentia, & impollutæ sanctitatis assertor, ut claret ex libro de Parturitione & Virginitate Mariæ, & ex Serm. 1. de Assumptione. Plura congerit testimonia pro immaculata Mariæ Conceptione propugnanda noster Salazarius cap. 42. Sæculo VII. Imò sunt, qui existimant, ab Ildephonso festum Marianæ Conceptionis in Hispania institutum sub nomine Expectationis sanctissimæ Virginis die decimo octava Decembris. Ita Vasius in Chronico An. D. 655. Trithemium referens, qui de ea solemnitate Expectationis loquens subdit: *Que solemnitas jam obtinuit, ut per universam fidelium Ecclesiam in honore purissimæ Conceptionis illius celebraretur 6. Idum Decembris.* Idem sentit Gregor. Giraldus Dialogo 5. de Historia Poëtarum. Quod si hæc mentò displiceant; citra dubium sit, ab Ildephonso Virgineæ immunitatis festum summo perè auctum, & amplificatum quo flagrabat in Deiparam studio.

Vasius.

Trithemi.

1710 S. Anselmus, magnum quidem decus & splendor Ecclesiæ Anglicanæ, Archiepiscopus Cantuariensis, Monachus fuit Benedictinus, & Monasterii Beccensis in Normandia Abbas. De quo Edmerus ejus a secretis minister apud Surium 21. Aprilis. Floruit per annum 1080. Ubique & semper studiosissimus extitit Marianæ gloriæ, & mundissimæ Conceptionis assertor. Opusculum scripsit *De excellentia B. Virginis*; Homiliam de ejusdem Assumptione; librum de Conceptu Virginali & peccato originis. Et pro Deiparæ immunitate stabilenda Epistolam illam ad Coepiscopos Angliæ, & omnes Orthodoxos: Homiliam de Conceptione super cap. 1. Matthæi. Alium Sermonem de Concept. B. Mariæ: librum etiam de Concept. Virginis, sive de exordio mundanæ salutis. Quæ Anselmi opera reciperia & propugnata habes apud nostros Ogeda in suo aureo libello de Conceptione cap. 12. & Salazarium in defensione pro immaculato Virginis Conceptu cap. 35. §. 5. & cap. 42. Sæculo XI.

S. Anselmi scripta pro Maria immunitate.

Rupertus famâ celebris, doctrinâ præclarus Rupertus, ex Benedictinis fuit, & Abbas Tutienis cœnobii. De quo Trithemius. Deiparæ Virginis studiosissimus, ut ejus in Cantica Cantico-rum ostendunt Commentarii. Ubi est libro 1. severius videatur statuere de Mariana Conceptione; perspicuè tamen pro pia sententia est lib. 6. sæpè, & l. 3. & luculentius l. 7. Floruit hic Auctor ad an. 1124.

Rupertus.

1711 S. Bernardus, qui anno vixit 1130. S. Bernardus, ex Benedictina Familia Cisterciensis fuit, & Abbas Claravallensis, Cisterciensis Familiæ eximius amplificator; nam dum viveret, jam centum sexaginta monasteria suæ reformationis ubique terrarum erexerat. Doctrinâ ipse suâ, vitæ exemplo, miraculis, sæcundaque sancto-

S. Bernardus.



sanctorum sobole & Benedictinum Ordinem, & universam Ecclesiam magnopere illustravit. Tantâ in Deiparam Mariam arsit pietate, ut in unum Bernardum non singulorum tantum Virginis clientulorum, sed omnium simul pietas videatur influxisse. Sic Bernardum Maria in delictis habuit, ut ipsa ejus nutritrix extiterit, quæ illum non semel ubertim lactavit: ipse verò cum de ubere ætherei lactis pleno hausisset impigrè, lactanti evasit similis, totus lacteus & mellitus. Hinc Bernardi, pro Mariæ gloria evolvenda & stabilenda, lactea & mellita scripta, quæ tanti Scriptoris ardentissimum in Deiparam studium testantur abundè.

1712 Nec defuit studiosissimo huic Virginis amatori in mundissimam Mariæ Conceptionem præclara pietas, quæ sese luculenter prodit multis in locis. In Sermonibus de Nativitate Christi, quem inscribendum Parisienses volunt, de pura Virginis Conceptione. Item in Sermonibus, cui titulus; *Sermo de B. Maria*, quem simili titulo decorandum nonnulli putant. Rursus in sermonibus super *Salve Regina*, Sermone præsertim 4. & in Sermonibus de *Cena Domini*. & in Sermonibus de verbis Apocalypsis. Testimonia ex his locis de prompta rescribit & expendit noster Salazarus cap. 32. Sæculo 12. ut probet, immaculatam Virginis Conceptionem perspicuè tradi à Bernardo.

1713 Sed quid dicendum de Epistola 174. à Bernardo scripta ad Canonicos Lugdunensis Ecclesiæ inter alias Galliarum nobilissimæ? Nonne ibi temeritati vertit quod immaculatæ Conceptionis festum acriter, haud expectata Romanæ Ecclesiæ censura? Nonne ibi multis probat rationibus, Deiparam Originalis delicti ream fuisse? Quorsum ergo Bernardum à præclara pietate perpetuam Virginis immunitatem commendamus? Respondet in primis; haud infimæ notæ Scriptores esse, qui validissimis inducti rationibus audent, illam Epistolam minimè Bernardi esse, sed omnino spuriam, & notham. Hujus existimationis sunt noster *Ogeda* in libello de Traditione mundissimæ Conceptionis Mariæ c. 14. *Ægidius* nobilis ex Augustiniana Familia Theologiæ scholasticæ Doctor apud Conimb. Academiam in eximio opere de Præsertione B. V. Mariæ lib. 3. quæst. 4. art. 2. §. 2. num. 151. Et eruditus Scoti Scholiastes ex Seraphico Ordine *Hugo Cavellus* in Appendice illa aurea ad 3. Sentent. d. 3. Sæculo 12. Nec viris aliis doctis hoc displicuit. *Respondeo* deinde cum nostro Salazario cap. 35. §. 6. esse quidem illam Epistolam inter eas referendâ, quæ ipsius Bernardi propriæ ac germanæ sunt (quod ipse multis & rationis & auctoritatis momentis efficere contendit) nec negandum, mellitum Abbatem, tunc, cum illam scripsit, pro ea stare sententia, non alia præsertim ductus ratione, nisi quia puræ Conceptionis festum solemniter celebrarent, inconsulta Apostolica Sede. Mutavit tandem sententiam Bernardus, rei ipsius quasi experimento & contactu quodam compulsus; ut mutarunt etiam sacri alii Doctores S. Thomas, Bonaventura, Anselmus, Albertus Magnus, Alexander Aletius; Imò in ea ipsa Bernardi Epistola Bernardus ipse post longam disputationem ita demum peroravit, ut quæ dixisset, *Absque præjudi-*

S. Bernard.

cio dicta esse vellet sanius sapientium. Hæc cursum dicta sufficiant pro commendanda & vindicanda melliti Abbatis pietate in puram Virginis immunitatem.

1714 S. Amedeus Allobrox Costæ ad Viennam natus, Monachus deinde Benedictinus Cisterciensis, mox Lautanensis Episcopus in Gallia creatus Anno Dom. 1144. obiit 1153. Octo illius de B. Virgine Homilias excusatas dederat Basilea anno 1517. Sed recognitas rursus edidit noster Richardus Gibbonus, de quibus videndus omnino est ipse Richardus in vita ejusdem Amedei, quam aureo libello præfixit, necnon & nostri Canisius lib. 5. de B. Deipara cap. 5. & Possévinus in sacro Apparatu. Harum Homiliarum secunda hanc habet inscriptionem, *De justificatione, vel ornatu Mariæ Virginis*, quam proinde noster Richardus in Annotatiunculis, quas Amedeo addit, merito observat, in Conceptione B. Virginis fuisse habitam. Satis in illis Homiliis, illius in Deiparam purè conceptam se prodit studium.

1715 Nicolaus S. Albani Monachus Benedictinus Cluniacensis Congregationis in Monasterio S. Albani, natione Anglus, anno vixit 1181. Alius est hic Nicolaus à Nicolao Anglo etiam ex villa quadam Malvesberia Oppidi S. Albani; qui ad Pontificatum ascendit, & Adrianus IV. vocatus est, floruitque anno 1159. ac librum scripsit in laudem, sive de Conceptione B. Mariæ, ut testatur Possévinus noster in Apparatu; ubi utrumque confundit, & confundendi occasionem fecere tum nominis similitudo, tum etiam quia ejusdem uterque nationis fuerint, necnon quia ad S. Albanum pertinuerint, ille natali, hic professione. Adde fortasse & scribendi similitudo; nam uterque B. Virginis Conceptionem tutati sunt, ille conscripto ad id argumentum integro libro, hic verò longioribus literis datis ad Petrum Cellensem Abbatem, quas inter Epistolas Cellensis habes lib. 9. Epistola 9.

Mitto innumeros alios ex Benedictina Familia Scriptores Marianæ gloriæ, & puræ ejus Conceptioni addictissimos. Paucos, eosque nobilissimos, indigitasse sufficiat, ut clareat quàm gloriose fuerit Deipara Virgo exaltata in hoc Religioso Ordine.

## §. V.

## De Benedictinæ familie Cisterciensis in Virginem pietate.

1716 Denique seorsim dicendum aliquid de Benedictinæ Familie Cisterciensis in Virginem Mariam pietate. Prima hujus Religionis fundamenta jacta esse constat anno 1098. à S. Roberto Molismensi Abbate, de quo Surius 29. Aprilis. Hic Robertus nondum natus à Dei Matre ad egregium illud opus destinatus videtur: nam ipsa matri ejus Engardi prægnanti apparuit non semel, aureum præferens anulum, sicque Engardem allocuta: *Engardis, filium, quem Surius geris, hoc mihi annullo desponsari volo*. O fortunatissimus vir tam sanctâ, tam eximiam Sponsâ donatus, tanto conjugio dives! Anulus dari solet propter id, ut eodem pignore sponsi & sponsæ corda jungantur, observat S. Isidorus lib. 2. de divinis officiis cap. 15. Annulus

S. Amed.

Nicola. S. Albani.

S. Chryf.

Annulus à Deipara Roberto datus in pignus amoris. Hunc anulum appelles cum Chryfologo Serm. 5. *Annulum honoris, titulum libertatis, artham celestium nuptiarum*. Ex hac animorum conjunctione, ex hoc spiritali & cælesti connubio inter Virginem Matrem, & Robertum Cisterciensis Ordinis institutorem numerosa prodiit Sanctorum proles Virginis dicata consecrata, pro Virgine purgacissima.

Gregor. X.

1717 Jure merito Gregorius X. in quodam privilegio dato Lugduni Nonis Aprilis anno 1275. Pontificatus ipsius 4. Cisterciensis, inquit, *Ordo, inter Religiones ceteras, gloriose Virgini singularitate devotionis adscriptus est*. Joannes item X. Abbas olim Cisterciensis in exhortatione ad Monachos omnes Cistercienses; *Hæc est, ait, omnium Religionum prima in ipsius Virginis honorem dicata*. Sic etiam loquitur Casarius l. 1. Dialog. c. 1. Lege Bernabam Monachum lib. 1. Chronici, Michaelém Pererium de Heredia in libro de Exilio Virginis, & Angelum Manriquez in Sanctoralibus Cisterciensis lib. 1. in Procemio. Hinc spectant illa Deipara verba facta S. Lutgardi Moniali Cisterciensi, quorum meminit Thomas Cantipratensis in vita illius lib. 1. c. 10. apud Surium Tom. 3. die 16. Junii. *Congraulabatur ei, quod Monasterium & ordinem ipsi sibi specialiter addidit complexa esset*. In cujus rei argumentum, Albericus, qui in Abbatia subrogatus Roberto fuit, candidum vestem ab ipsa Deipara Virgine accepisse dicitur; imò repente tunc nigrum Habitum, quo Cistercienses utebantur, in albescentes, niveasque vestes miraculose transmutatum: quibus & se Virgini mundissimæ addictissimos, & candidissimam Marianæ Conceptionis immunitatem profiterentur.

Cantiprat.

Sic etiam B. Virgo candidum habitum & Regulam S. Benedicti Olivetano Ordini dedit apprensus Guido Episcopo Aretino. De quo noster Plati lib. 1. de Bono status Religiosi capite 34.

Egregium miraculum in honorem immunitatis.

P. Bonif.

1718 Non hinc abeam, quin miraculum referam, quod integra fide ab oculatis testibus, qui miraculo interfuerunt, accepta, literis consignavit Antonius Solerius Carpinas lib. de Veneratione & invocatione Sanctorum, ex quo illud in suam Virginalium Historiam noster Joannes Bonifacius contulit lib. 4. cap. 17. Postquam multa uterque de singulari sanctimonia Nicolai Præsentis ex Cisterciensi Ordine Monachi præmonuerunt, sic scribunt: Raram Nicolai virtutem, mortisque & præscientiam & præstantiam domesticæ omnes ad B. Virginis præcipuam quamdam venerationem & pietatem referebant, quæ in Nicolao semper enituerunt. Nullus enim in illo cœtu repertus est Deipara Virginis amatior. Siquidem & alia multa, & illud affirmabatur in primis; Conceptæ Mariæ Dei Matris ferias à Cælestis uno tantum die celebrari solitas, agente atque omnem lapidem movente hoc Nicolao, universi Ordinis decreto, ad octavam usque diem esse productas. Quo impetrato, præ gaudio in hortum ingressum, Rosam, omnium, quas viderat, in eo plantario pulcherrimam, ante Deiparae imaginem vultu ad venerationem composito, statuisse, & hæc insuper verba fecisse: *Mater, Mater, si tibi forte gratum fuit, quod noster Ordo, de octava P. Ildeph. de Flores in Eccles.*

va tua Conceptionis, me agente, constituit, Rosa hæc rubicunda, quam tibi offero, verente anno, hoc ipso die, viriditatem suam, pulchritudinemque conservet. Quod & factum est, multis videntibus, ac Rosæ integritatem, formositatemque mirantibus, à cuius locatione anniversarius dies esset. Qui verò miraculo interfuerunt, Antonio Solario rem testes oculati narrarunt. Nicolaus verò singularis sui in Deiparam obsequii fructum retulit; nam in juventutis flore obitus sui die prædicto, omnibus sacramentis piè susceptis, sanctissimè diem clausit extremum.

Rectè igitur Hugo Cardinalis premens illud, *Sicut Cedrus exaltata sum in Libano*, sic Hugo; opportunè illustrat: *Id est, in Ordine Cisterciensium, quia omnes Abbatie illius Ordinis fundate sunt in honorem Virginis*.

## SECTIO XXXVIII.

De Religiosissima Carthusiensium Familia per montem Hermon designata, atque in ea de Christi, ac Deipara exaltatione.

1719 Carthusiensis Ordo, inter Monachos les omnes, vitæ arctioris, ac recti tenacissimæ instituto facile princeps, cœpit anno Dom. 1084. juxta Sigisbertum in Chronico, S. Antonium 2. part. Titulo 15. cap. 22. Surium Tom. 5. die 6. Octobris, Dionysium Carthusianum Opusculo de laudibus Ordinis Carthusiani, Suarez Tom. 4. de Religione lib. 2. cap. 4. Eman. Rodericum Tom. 1. quæstionum Regularium quæst. 3. art. 8. Baronius verò ad annum 1086. hujus Religionis exordium protendit. Porro Carthusiani instituti Auctor, & Carthusiensium Patriarcha extat admiratione & laude dignissimus S. Bruno, vir doctrina & sanctitate prælustri. Hic horrendo percussus spectaculo cujusdam Doctoris Parisiensis (qui vitâ sanctus, altâ & terribili voce se accusatum, se damnatum, se condemnatum exclamavit) sex aliis familiaribus assumptis, in asperissimam Carthusiæ solitudinem secessit eremiticam vitam acturus, daturusque Carthusiæ Ordini initium, sic appellato ab ea Carthusiæ solitudine. Legehis scriptores proximè memoratos, necnon Petrum Venerabilem Abbatem Cluniacensem lib. 2. Miracul. cap. 28. Igitur ad rem nostram.

1720 Reor planè, Monachalem hanc Carthusianorum Familiam typicè designari per montem Hermon, qui & Sion per sin solet appellari, appellaturque à nostro Siracide; sicut Cypresus in monte Sion, id est, in monte Hermon. De quo scitè admodum noster Sherlogus in cap. 4. Cant. vers. 8. Vestigatione 29. Sectione 2. num. 20. observat ex Adrichomio, ob ferarum lustra, & nivium congestos montes montem terribilem viatoribus fuisse, inaccessum atque inhospitalem; atque adeò nomen à Cherem, vel Herem accepisse, quod est destruere vel perdere, ut Masius in cap. 12. Josue vers. 4. & Guevara in cap. 2. Habacuc num. 317. existimant. Ubi prima Audi quid de Carthusiæ solitudine Surius scribat. *Est Eremus quadam in altissimis montibus, quam Carthusiam vocant, ampla illa quidè, sed prorsus inculta, atque à nemine habitata, Surius.*

P p

solis